

Decimo. Ipse etiam vicarius solus, absque examinatoribus, scribet litteras ad Sanctissimum Dominum Nostrum, ad quem collatio parochialis spectabit, quibus præcipue testabitur vacasse parochialem, propositum fuisse edictum, et ex examinatis fuisse tot idoneos a tribus saltem examinatoribus judicatos; se vero ex istis idoneis talem cæteris magis idoneum judicasse et elegisse.

Undecimo. Capitulum aut decanus ecclesiæ cathedralis nullum jus sibi vindicet proponendi edictum, aut deputandi seu eligendi vel convocandi coram se examinatores. nec jubendi aut curandi, ut coram se aut examinatoribus ab eo deputatis examen fiat, minus eligendi magis idoneum, aut litteras testimoniales de eo scribendi; sed hæc omnia, ut supra dictum est, exequatur partim synodus diœcesana, partim vicarius, sede vacante, constitutus, quem capitulum omnino (ut supra quoque in principio injunctum est) constituere debebit, ex dicto capite 16.

Duodecimo. Multo magis idem capitulum abstineat a conferendo parochialem in commendam temporalem ei, qui magis idoneus fuerit judicatus; maximeque etiam caveat ne concedat omnes fructus ipsius parochialis eidem, dicta commenda durante; quoniam Concilium hæc omnia prohibuit, dum statuit debere Episcopum, statim habita notitia vacationis parochialis, idoneum in ea vicarium cum congrua fructuum portione constituere; quod munus (ut supra quoque dictum est) obibit præcise vicarius, sede vacante, deputatus.

Cavebitque etiam ipse a dicta commenda et concessione omnium fructuum; et illud quoque sibi interdictum sciet, ne eum, quem magis idoneum ipse judicaverit, constituat vicarium in parochiali, aut ei quoquomodo præficiat, donec collatio fiat; sed debebit omnino a principio vacationis, et antequam ullum examen fiat, constituere in ea alium vicarium, qui curam animarum interea gerat, donec parochialis fuerit a Sede Apostolica collata magis idoneo.

Hæc instructio S. C. C. data 1577 ad instantiam capituli Tole-
tani, legitur apud Fagnanum loco citato; Garciam de beneficiis
p. 9, cap. II, n. 8; Bouix p. V, sect. III, cap. V, § V; Hermes
cap. II, fol. 79 in not.

« Hæc omnia juxta De Angelis (1) locum habent in locis, in qui-

(1) Prælectiones juris can. tom 1, tit. XXVIII, n. 21.

bus beneficia curata per concursum providentur in titulum. Sed in pluribus christiani orbis provinciis hæc regula omnino inapplicabilis est, in quibus vel in titulum hæc parochialia beneficia non conferuntur, et multo minus per concursum. Deputationes siquidem ad talia beneficia administranda fiunt a vicariis capitularibus, quemadmodum fiunt ab Episcopis in sua gestione. »

Sicut vicarius capitularis in parochia vacante vicarium constituere potest et debet, ita procul dubio viceparochos sive vicarios aut parochorum adjuutores nominare et constituere valet.

IV. Capitulum sive vicarius capitularis admittere potest renuntiationes beneficiorum illorum, quæ conferre valet: dubitatur autem, an admittere valeat renuntiationes eorum, quæ conferre non potest; negant Reiffenstuel, Devoti, Craisson (1) et affirmant Barbosa, Garcias, Krimer (2).

§ 7. *An concedere potest litteras testimoniales aut dimissoriales, vel licentiam diœcesim ingrediendi et relinquendi.*

I. Concilium Tridentinum sess. XXIII, cap. III, de reform. statuit: *Episcopi per semetipsos ordines conferant. Quod si ægri- tudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quam jam probatos et examinatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant.* Et ibidem cap. VIII: *Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores ordinarii sui testimonio commendentur.*

Differunt et distinguendæ sunt litteræ testimoniales a dimissoriis. Testimoniales dant quidem testimonium de vita, moribus, natalibus, ætate, scientia ordinandi, non autem licentiam ordines recipiendi ab Episcopo externo. Casus accidere potest, ut quis, sede vacante, postulet litteras testimoniales tantum, non autem dimissorias; si scilicet a Sede Apostolica obtinuerit facultatem ordines recipiendi ab externo Episcopo, et litteris testimonialibus

(1) Reiffenstuel lib 1, Decretal. tit. IX, n. 7; Devoti Instit. canonic. lib. 1, tit. VIII, n. V et VIII; Craisson n. 509.

(2) Barbosa de canonic. cap. 42, n. 96; Garcias de beneficii, p. XI, cap. III, n. 256 et seqq.; Krimer lib. III Decretal. n. 866.

indigeat juxta allata decreta Concilii Tridentini. Hujusmodi litteras testimoniales de vita et moribus capitulum per seipsum post electionem vicarii capitularis præbere nequit, sed vicarius capitularis dare debet (1). Vicarius autem capitularis, licet primo anno vacationis litteras dimissorias tradere nequeat, litteras tamen testimoniales eo anno concedere potest, quia Concilium Tridentinum sine ulla restrictione præscribit, eas litteras dandas esse ab ordinario, cujus nomine, sede vacante, venit vicarius capitularis (2).

II. Concilium Tridentinum sess. VII, cap X, de reform. statuit: *Non liceat capitulis ecclesiarum, sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii, aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, capitulum contraveniens ecclesiastico subjaceat interdicto; et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus, gaudeant; in majoribus vero, ab executione ordinum, ad beneplacitum futuri praelati, sint ipso jure suspensi.*

Capitulum igitur, seu vicarius capitularis infra annum a die vacationis, sine speciali Sedis Apostolicæ indulto seu venia S. Congregationis Episcoporum, solis arctatis, post annum autem omnibus litteras dimissorias dare potest, ad ordines suscipiendos.

Quoad tonsuram suscipiendam dubitatur: quum enim Concilium hoc loco, sicut etiam sess. XXIII, cap. 10 de reform. de concedenda tantum licentia ordinandi loqui videatur, nec ubi pœnas statuit, commemoret primam tonsuram; specialis movetur quæstio, an capitulo primo vacationis anno etiam interdicta sit concessio dimissorialium ad suscipiendam primam tonsuram. Opinio communior et magis recepta ea est, ut lex Tridentina etiam de dimissoriis pro tonsura intelligenda sit (3). His tamen non obstantibus cum S. Congregatio Concilii censuerit, vicarium capitularem lit-

(1) S. C. C. 1 Dec. 1736, dub. 5, *Elven.* apud Zamboni *Capitulum ecclesiast.* § IX, n. 37.

(2) Barbosa de canonic. cap. 42, n. 122; Bouix p. V, sect. III, cap. IV, § 10; Hermes cap. 2.

(3) Leuren. q. 512; Pirhing lib. 1, tit. XI, de Temp. Ord. n. 58; Barbosa de canonic. cap. 42, n. 116; Lucius Ferraris *Vicarius capit.* art. II, n. 42. Zypæus juris Pontif. novi lib. 3, *Ne sede vacante*, n. 2.

teras dimissorias ad primam tonsuram non arctato concedere posse (1), absque levitatis nota sustinetur, vicarium capitularem dimissorias ad primam tonsuram etiam primo anno non arctatis dare posse (2).

Not. vicarium capitularem infra primum annum dimissorias ad ordines concedere non posse, etiamsi capitulum habeat territorium distinctum et exemptum ob immemorabilem possessionem (3).

2. Dimissorias primo anno concedere potest illi, qui beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus fuit. Arctati ratione beneficii suscepti dicuntur illi, qui obtinent aliquod beneficium quod de jure, consuetudine, privilegio, statuto ecclesiæ vel foundatione infra annum requirit ordinem, quem non habent; et ratione beneficii recipiendi dicuntur illi, qui propter beneficium suscipiendum nominati a patronis tenentur suscipere ordinem, quem intra annum pariter suscipere aut in actu institutionis habere debent (4).

Illas autem concedere nequit pro assequenda pensione: cum enim Concilium impertiatur vicario capitulari facultatem concedendi dimissorias intra annum sedis vacantis arctatis dumtaxat ratione beneficii recepti vel recipiendi; pensio vero proprie non est beneficium, nec regulariter præcipue in materia odiosa et stricte intelligenda, venit beneficii appellatione; ideoque consecuturus pensionem, non dicitur arctatus ratione beneficii, ut præscribit Tridentinum (5).

Ubi Concilium Tridentinum non est receptum, vicarius capitularis intra annum sedis vacantis concedere potest dimissorias etiam non arctatis, ex dispositione juris communis expressa in decretali Bonifacii VIII. relata in cap. III, *Cum nullus. De tempor. Ordinat. In VI lib. 1, tit. IX* (6).

(1) 10 Feb. 1594 in *Burgen.* Fagnanus in 2 part. I, Decretal. de ætat. et qualit. cap. *Cum contingat.* n. 39; Giraldis Exposit. jur. Pontif. p. 2, sect. 100; De Angelis Prælectiones juris can. lib. 1, tit. XXVIII, n. 21.

(2) Hermes cap. 2, fol. 72.

(3) Barbosa de canonicis cap. 42, n. 119; Giraldis loco cit. not. III; Lucius Ferraris *Vicarius capit.* art. II, n. 44.

(4) Lucius Ferraris loco cit. n. 4 et 5; De Angelis loco cit. Barbosa loco cit. n. 118, 126 et 127; Reiffenstuel lib. 1. Decretal. tit. XI, n. 120 et seqq. Giraldis loco cit. sect. 100.

(5) S. C. C. 10 Feb. 1594 in *Burgen.* Giraldis loco cit.

(6) Giraldis loco cit. not. VI.

Vicarius capitularis intra primum annum etiam expedire potest illas dimissorias, quas episcopus defunctus nominatim concesserat ante obitum, et morte præveniente non expedierat (1). Talis enim concessio est gratia, quæ non expirat per mortem concedentis vel per renuntiationem Episcopatus (2).

Similiter obtinenti facultatem a Sede Apostolica de suscipiendo ordines cum licentia sui Ordinarii, hanc licentiam subordinatam ante lapsum anni concedere potest (3).

Not. Litteræ dimissoriæ concessæ ab Episcopo defuncto non cessant, sicut concessæ a vicario capitulari post annum, etiam non expirant per ingressum novi Episcopi, licet ejus jurisdictio cessaverit, et illæ a novo Episcopo non confirmentur. A novo autem Episcopo revocari possunt: quapropter auctores suadent, ut non admittantur dimissoriæ, a defuncto Episcopo aut a vicario capitulari concessæ, si tempore quo exhibentur, novus Episcopus possessionem ceperit, nisi ipso novo Episcopo consentiente (4).

3. Post annum vero a die vacationis sedis Episcopalis vicarius capitularis dimissorias ad ordines quibuscumque suis subditis, etiam non arctatis concedere potest, ut clare colligitur ex Concilio Tridentino sess. VII, cap. X de reform. et expresse declaravit S. C. Congregatio (5) et S. Cong. Episc. (6).

Plures censent, vicarium capitularem, elapso etiam anno, dimissorias concedere non posse ordinandis ad titulum patrimonii vel pensionis, cum hoc a Concilio Tridentino sess. 21, cap. 2 de reform. reservatum sit Episcopis; at juxta Lucium Ferrarem libera est potestas vicario, tanquam vices ordinarii supplenti, dare dimissorias post annum, etiam titulo patrimonii vel pensionis, si id necessitas vel commoditas ecclesiæ requirat, conformiter ad Concilium Tridentinum hoc loco citato; et sicut plures notant, illa limitatio in pluribus locis recepta non est, et hodie insuper juxta

(1) S. C. C. 24 Ap. 1700. Decret. lib. 50.

(2) S. Cong. Episc. 12 Nov. 1600 in *Orien*; Lucius Ferraris *Vicarius capitularis* art. 2, n. 51 et 52; Giraldo loco cit.; Hermes fol. 72.

(3) Lucius Ferraris *Vicarius capitul.* art. 11, n. 8; Barbosa de canonic. cap. 42, n. 123; Piasecius *Praxis Episc.* p. 1, cap. 1, n. 13.

(4) Giraldo loco cit. not. 1; Barbosa loco cit. n. 129; Lucius Ferraris *Vicarius capit.* art. 2, n. 50; Bouix p. V, sect. III, cap. IV, § X, nono.

(5) Apud Garciam de beneficiis p. 5, cap. 7, n. 93.

(6) 12 Jan. 1604 in *Neapolitana* et 24 Jan. 1653 in *Aleriana*; Lucius Ferraris *Vicarius capit.* art. II, n. 6.

De Angelis vix locum habere potest ex defectu beneficiorum et ex necessitate ecclesiarum (1).

4. Dimissorias dare spectat, non ad capitulum, cujus jurisdictio post vicarii electionem cessavit, sed ad vicarium capitularem, qui absque ullo capituli mandato, illas concedere potest in omnibus casibus a Concilio Tridentino permissis (2).

Annus, post quem vicarius capitularis dimissorias concedere valet, computatur a die mortis, translationis aut renuntiationis Episcopi, non vero a die habitæ notitiæ mortis, translationis aut renuntiationis (3).

Not. vicarium capitularem pro litteris testimonialibus et dimissoriis nihil posse recipere, etiam pro sigillo, non obstante immemorabili; notarium vero seu cancellarium, si nullum habeat stipendium pro officio exercendo, posse pro dimissorialibus litteris decimam partem auri unius recipere; ita tamen, ut nihil directe vel indirecte vicario proveniat, sicut rescriptum fuit per S. C. C. 28 Martii 1648 *Elnen*, dub. 4 (4).

5. Si infra annum a die vacationis litteræ dimissoriæ non arctatis concedantur, concilium statuit pœnas sequentes: *Capitulum contraveniens ecclesiastico subjaceat interdicto*. Hæc pœna est latae sententiæ propter verbum *subjaceat*, quod est præsentis temporis; et licet non sit reservata, a simplici tamen confessario absolvi nequit, sed ab Episcopo successore (5); atque incurritur, etiamsi is, cui dimissoriæ concessæ sunt, illis usus non fuerit, nam actus perfectus fuit respectu concedentis, per quem non stetit, quin sequeretur effectus (6).

Vicarius capitularis, qui a Concilio Tridentino sess. VII, cap. X de reform. non nominatur, et proinde dici potest non contrahere pœnam interdicti, ibidem statutam; certo tamen pœnam incurrit a Concilio latam sess. XXIII, cap. X de reform. videlicet: *Conce-*

(1) Vid. Giraldo loco cit. not. III; Barbosa in summa Constit. Apost. dec. V, cap. *Sede vacante*, n. 12; Garcias de beneficiis p. 5, cap. VII, n. 93; Lucius Ferraris *Capitulum* art. III, n. 110; De Angelis loco cit.; Bouix p. V, sect. III, cap. IV, § X septimo.

(2) Giraldo loco cit.; Barbosa loco cit. n. 120.

(3) Bouix loco cit. sexto; Hermes fol. 71.

(4) Apud Zamboni *Vicarius capitul.* § II, n. 4.

(5) Thesaurus seu Giraldo de pœnis verb. Ordo cap. XIX; De Angelis lib. I tit. XXVIII, n. 21.

(6) Giraldo Expositio juris Pontif. p. 2, sect. 100, not. IV; Barbosa de canonic. cap. 42, n. 130; Lucius Ferraris *Vicarius capitul.* art. 2, n. 46.

dentis dimissorias contra formam decreti, ab officio et beneficio per annum sint ipso jure suspensi (1).

Ordinati si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus gaudeant, dummodo tamen secuta sit sententia declaratoria (2).

Ordinati vero in majoribus, ab executione ordinum, ad beneplacitum futuri praelati, sint ipso jure suspensi.

Hæ poenæ adhuc subsistunt, nam in Constitutione Pii IX *Apostolicæ Sedis*, qua censuræ latæ sententiæ limitantur 1869 quarto Idus Octobris, statuitur in fine : *quoscumque Sacrum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.*

III. Vicarius capitularis plenam habet auctoritatem in clericis et sacerdotibus sub diœcesana jurisdictione recipiendis (3); juxta graves autem auctores (4) concedere nequit dimissionem per excommunicationem, quæ in his locis vulgo dicitur *exeat*, qua clerico datur licentia transeundi ad aliam diœcesim, quia est species alienationis; secus tamen sentiunt alii, quia canones alienationes prohibentes, loquuntur de alienatione honorum, non vero de alienatione personarum (5).

§ 8. *An potest visitare ecclesiam, diœcesim et monasteria.*

I. *Locorum ordinarii ecclesias quascumque, quomodolibet exemptas, auctoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur* (6).

« Certum exploratumque est, in unaquaque diœcesi, elapso anno a die novissimæ visitationis peractæ ab ultimo Episcopo defuncto, posse vicarium capitularem legitime electum hanc ipsam visitationem per diœcesim instituere, sede adhuc vacante » juxta decretum S. R. C. 16 Sept. 1843, *Abellinen*, approbante Sanctitate

(1) Hermes cap. 2, fol. 73.

(2) Giraldi ibidem not. V, et Barbosa ibidem n. 131.

(3) De Angelis Prælectiones juris canonic. lib. 1, tit. 28, n. 21.

(4) Fagnanus in 2, part. I Decretal. de off. Archid. cap. *Significasti*, n. 3; Reiffenstuel lib. III Decretal. tit. IX, n. 76; De Angelis loco cit.

(5) Craisson n. 1270.

(6) Conc. Trid. sess. VII, cap. VIII, de reform.

Sua, sicut S. Congregatio Concilii etiam rescripsit 8 Maji 1683, dub. 1, *Asculana* (1), et prout communis Doctorum est sententia (2).

Quinimo jure merito dicitur, vicarium capitularem ad hoc teneri, quia ipse est loci ordinarius, et locorum ordinarios ad hoc teneri statuit Concilium Tridentinum supra allatum. Præterea ad vicarium capitularem transit jurisdictione ordinaria, iis exceptis, quæ a jure aliter statuuntur; atqui jus et obligatio instituendæ visitationis pertinent ad jurisdictionem ordinariam, et nullus reperitur juris textus, quo eadem excipiuntur; ergo jus et obligatio visitandi ecclesiam transeunt ad vicarium capitularem.

II. Licet vicarius capitularis visitationem peragere possit et debeat; cum tamen juxta Concilium Tridentinum hæc ipsa singulis annis faciendâ sit; juxta Benedictum XIV (3) eam aggredi non potest - nisi elapsus sit annus a die ultimæ visitationis ab Episcopo peractæ, uti sæpius decisum fuit a S. C. C. signanter in *Ostunen*, 28 Julii 1708, lib. 53 Decret. p. 266, cum proposito dubio, *An et quando vicarius capitularis possit visitare?* rescripsit : *Affirmative post lapsum anni*; et 13 Sept. 1721 : *An vicarius capitularis Scardonens, facere possit visitationem civitatis et diœcesis. Secundo, An facere possit visitationem personalem capitularem*; responsum fuit : *Ad primum et secundum Affirmative, dummodo elapsus sit annus a die ultimæ visitationis factæ ab ordinario* (4). Quod aliqui existimant, vicarium capitularem ecclesias visitare posse ante annum elapsam ab ultima visitatione, quia visitatio pertinet ad ordinariam Episcopi jurisdictionem, et hæc in vicario capitulari quoad hoc limitata non est, omnino exactum dici nequit, cum Concilium Tridentinum loco supra allato statuât, ecclesias singulis annis visitandas esse.

Prætermittenda quoque est visitatio, si ecclesia in proximo de pastore providenda sit (5).

(1) Apud Zamboni, *Vicarius capit.* § III, n. 11.

(2) Fagnanus in 2 p. I Decretal. *De Majorit. et Obedient. c. His quæ*, n. 50; Garcias de beneficiis p. 5, c. 7, n. 27; Pignatelli tom. X, Consult. 123, n. 4; Reiffenstuel lib. III, tit. IX, n. 67; Barbosa de canonic. cap. 42, n. 67; Layman in cap. *Cum olim. de Majorit. et Obed. n. 50*; Bouix p. 5, sect. III, cap. IV, § 11.

(3) De Syn. lib. 2, cap. IX, n. VI.

(4) Item 3 Feb. 1629 et 13 Ap. 1630, *Pampilonen*. 10 Mart. 1629, dub. I, *Limana* apud Zamboni *Capitulum eccl.* § IX, n. 12, 13 et 14; 13 Sept. 1721, dub. Visit. I, apud Zamboni *Vicarius capit.* § III, n. 18.

(5) S. C. C. 10 Mart. 1629, dub. I, *Limana*, apud Zamboni *Capitulum eccl.*